


05 A 430

05  
A  
430



I. N. S. S. T.

DE

# ORIGINE ANI- MÆ HUMANÆ,

Contra

CREATIONIS DEFENSOREM HELM-  
STADIENSEM

pro

TRADUCE,

PRÆSIDE

M. JOHANNE JACOBO  
FEGLENNULMA SVEVO  
In Florentissimâ Leucoreâ

D. Aug. 18. in Auditorio Minori,  
hor. antemer.

Anno Salutiferæ Generationis  
M. DC. LXIX.

Publicè Disputabit

MARTINUS VVESTPHALUS, Rügen-  
vvaldâ Pomeranus.

---

WITTEBERGÆ,  
Literis MICHAELIS MEYER.





# O. A. D. G.

## Prodromus.

**Q**uanquam quæstio illa de Origine Animæ Rationalis inter difficilissimas, quæ moveri unquam possunt, merito recenseatur, atq; inde etiam factum sit, ut multi Eruditi Viri tò ἐνέχειν sustinuerint, tamen quia oppido utile est, definitivam hanc in re habere sententiam, plurimumq; ( sunt verba B. Dn. D. Danhaueri (a) ) expedit, firmam aliquam hanc de re habere sententiam in multis controversiis Theologicis, Juridicis, Medicis decidendis: animum appuli, animatus ab Antecessoribus multis atq; Praclaris, certò quid definire. Certa autem illa definitio non consistet in theses confirmatione, quia ita videremur post Homerum Iliadem scribere, sed confutatione. Incidierim nuper, sed qvofato nescio, in disputationem de Origine Anima Rationalis à M. Alto defensam Helmstädti, illam per legi, perlegendo plurima naegogia deprehendi, atq; inde in animum induxi brevibus lineolis, quantum qvidem leges Academia nostre permittunt, eadem obiter tantum perstringere; cogitans. Non potest non benè cadere eventus, sicuti & bona causa sit, & bona, fini acquirendo, conferantur media. Contrarium autem, contraria defensuros manet: & admissum unicum absurdum (ut luculentum hic habemus testimonium) infinita ferè, satellitio sat uberi, absurd a conseqvuntur. Breviter ergo almane denudabimus veritatem. Faxit Deus ut FELICITER!

## THEISIS I.

**C**um vindicanda nullibi non veritas, & larva detrahenda falsis, ibi q; quam Maxime, ubi publicus male cautas mentes in præceps agit error:

(a) Disp. 6. Colleg. Psychol. p. 144.

ror: præmittenda jam eset terminorum explicatio, qvi freqventi Adversariorum abusu notabiliores facti, sed qvia nostra disputatio in vindiciis maximè erit occupata, inopia chartæ negotium hoc prohibet; remittimus autem interea B. Lectorem ad Dexterrimum Naturæ Interpretem B. Sperlingum (β) Excellentissimum. Dn. Kirchmajerum (γ) preceptorum nostrum venerabilem.

II. Qvod autem Deus immediate, exclusis parentum animabus producentibus, in naturâ jam constitutâ, ubi creationi successit generatio, neqvaquam animas nostras creet, confirmaturi sumus unico & quidem inter omnia argumenta reliqua ponderosissimo ratiocinio, ita autem illud insolutum cum Antagonistâ informam⁹. Propagato eo, quod est in animâ, & non extra animam, ipsam etiam animam propagari necesse est. Sed post lapsum, docente fide, à parentibus in posteros propagatur peccatum originis, qvod est in anima & non extra animam. E. ipsa anima etiam propagatur necesse est. Hoc est illud argumentum (judicio Adversarii h̄aud e-qvidem absurdo) ex qvo omnis dubitatio circa hanc rem exorta est. Hoc est illud argumentum, qvod adeò torsit S. Augustinū. (δ) ut stante animarum creatione, qvam ipse haec tenus Hieronymo fuerat assensus, negorando, neglegendo, neg cogitando & ratiocinando solutionem invenire poterit. vid. Magnif. D. Calovius (ε) obseqviosè Venerandus Preceptor.

III. Robur atq; firmamentum argumenti hujus unici debuisset meritò cùm Theologos tum Philosophos Helmstadienses cum Augustino (de qvo summè Rever. Dn. D. Calovius (ζ) & Excell. Dn. Thomasius (η) referunt, qvod in postremis scriptis suis fuerit visus inclinare in sententiam de traduce) in contrariam partem trahere. Sed error, qui semel radices in animis egit, difficillimè eradicator. Ita enim M. Altus, seu potius Respondens §. V. infit, Nihilominus tamen multi verosimilius censem, & naturæ ipsius animæ convenientius, si dicamus, eam non ex traduce esse, sed immediate à Deo in nobis creari.

#### IV. Qvia

- (β) Tract. de Subtil. in Scal. Medit. 17. eff. 2. p. 476. Instit. Phys. l. i. c. 3. q. 3. p. 114. seqq.  
(γ) Disp. de Orig. animæ Humana (δ) Epist. 28. ad Hieron. fol. 101. D. (ε) In Harmon. Cantic. Heret. p. 506. (ζ) Loc. cit. p. 553. (η) Disp. Phys. de Orig. An. Hum. Sedl. 3. p. 20.

IV. Qvia autem scit, nos ad credendum cuilibet asserto tam propensos haud esse, hanc subdit rationem. Si anima, inquit, esset ex traduce, aut esset ex carne, aut ex anima. Non ex carne, quod quia non controversum, ideo probationem ejus omitto. Non ex anima, quia velesset ex tota, vel ex parte: si ex totâ, jam Pater totam animam transfunderet in filium, & sic velipse careret anima, vele adem numero anima esset in duobus, Patre & filio, si ex parte, jam anima esset divisibilis.

V. Hoc est illud argumentum, ex falsissimâ eorundem hypothesi, quod inter creationem & eductionem è potentia materiæ medium detur nullum, natum, ob quod in Traducem tam infenso sunt animo. Hoc est illud argumentum, quod in Ecclesiam periculosum illum de formali peccati originalis introduxit errorem, si enim quereras ex iis, quomodo cum infusione peccatum concilient originale? responsum accipies, quod formale peccati originalis puma puta sit privatio imaginis divinæ: ut adeo de hominibus hisce judicium ferre aliud possimus nullum, quam quod Excell. Thomasius (θ) tulit. Eos nec in Philosophiâ sapere constituisse ultra Aristotelem, quemq; veteris ævi barbaries ad nos transmisit. Nec ultra Scholasticos in Theologiâ.

VI. His in antecesum notatis, ad argumentum respondemus ipsum. Anima R. omnino propagatur ex animâ Parentum, non quidem patris tantum, (quam ad sententiam Antagonista noster digitum intendere videtur) sed *naejow* & à partre & à matre, causis quippe in actu generationis sociis. Vocabulum Ex character alias causæ materialis hic nec ex mente Adversarii, nec ex mente nostra potest strictè accipi, cum ita per absurdè judicio Celeberrimi Theologi Dn. D. Dorschei (i) *Anima ex semine tanquam ex materia oriri dicatur*. Sed ita latè, ut applicari possit non modo subjecto præexistenti, sed etiam pure nihilo, non modo materiæ, sed etiam substanciali immateriali, vel formæ incorporeæ, atq; ita omnino dicimus, quod anima filii ex anima producatur parentum, tanquam termino *ex quo*.

A 3

VII. Sc-

(θ) *Disp. de Orig. An. Rat. sect. 3. §. 136. p. 40.* (i) *In Auctar Pentadec. Dissert. 4. §. 46.*

VII. Sequela autem quam necit Adversarius est straminea, argumentor enim (1) in simili. Si Angelus generat Angelum, aut generat ex tota sua essentia, aut ex parte essentiae, non ex tota sua essentia, quia sic vel ipse careret, vel eadem numero essentia esset in duobus Angelis, quod iudicio M. Altius absurdum; non ex parte essentiae, quia sic esset divisibilis, quod itidem absurdum. Jam videbimus quomodo M. Altus cum suo Praeceptore Viro, ut loquitur, Incomparabili Cornelio Martini (2) cuius iudicio omnino standum fuisse M. Alto, conciliari posse. Ita autem ille. Quare si Deus vellet, ut ex substantia alicujus Angeli emanaret Angelus ejusdem naturae, an id Deo esset impossibile? (secundum M. Altum utique) Ego non puto, cum terminos contradictorios non videam, tum quod levius videtur efficere, ut ex Angelo emanet Angelus alius, quam eundem ex nihilo creare. (2) Cornutus Adversarii Syllogismus robur (quod alias natura cornibus peculiare largita est) habet nullum, cum non utrinque feriat; anima namque sobolis ex anima parentum est, non quidem, ut sibi falsò persuadet Antagonista, communicatione μεταβαπτικῆ, quā communicatum transit in illud, cui communicatur, ut eleemosynæ transeunt de dite in pauperem, sed αλλοποιητικῆ, quā non ipsum communicantis proprium, sed illius ἀνέγημα simile, numero tamen diversum, in altero producitur, & ea ipsa productione communicatur; ut ignem igne accendimus, ita tamen ut nihil decedat entitati ignis accendentis. Pari ratione comparatum etiam est cum anima nostra rationali. vid. B. Dn. D. Danbauerus. (3)

VIII. Elusa ita difficultate, quam prætendebat Adversarius vindendum jam, quid contra excipiat Antagonista. Diximus quod communicatio animæ sobolis fiat à patre per αλλοπόιησιν, quemadmodum ignis alium, sine sui multiplicatione aut entitatis deperditione, ignem producat. Hoc simile ut difflet M. Altus ita §. VII. infit. Contraria tamen sententiæ defensores simile ab igne desuntum, tanquam à re prorsus alienum, non admittunt. Etenim ignem non accendere alium ignem sine dependetia à materia. Et paulo post, Neg, enim accedit ignis alium ignem sine

sub-

(1) In Comp. Theol. p. 199. (2) In Colleg. Psychol. Disp. 6 p. m. 169.

substratā materiā, ligno vel alius etiam generis pabulo: tanq'vam materiā & principio passivo. At verò parentes, qvando producunt animam sobolis, sine dependentiā à materiā illam producunt. Quid qvæsò absurdā tandem responsio, si hæc non est? Status Contr. erat hic. An qvemadmodum ignis accendit ignem sine sui divisione & entitatis deperditione: ita etiam parentes propagent animam sobolis sine divisione & entitatis animæ amissione, Nos affirmavimus; M. Altus negat, fretus hâc ratione; qvia ignis productio dependeat à materiā. E. non potest esse similis certo qvodam in tertio cum productione animæ. Ut res eo melius patescat, medium terminum M. Altii in formâ syllogisticâ proponemus.  
*Qvicq' id dependet in sui productione à materia, illud cum re spiritualis natura nullam habet similitudinem. Aq' vi accensio ignis &c. E. O plumbeam & stupidam consequentiam.* Non prodeant hodie Amanuenses Spiritus S. Prophetæ res spirituales ( $\mu$ ) similitudinibus variis à rebus materialibus petitis explanates, M. Altus dicet, esse simile prorsus alienum. Fecit Salvator noster Christus, cui frequenti erat in usu; Regnum cœlorum adumbrare similitudinib⁹ à rerum materialium productione desumptis ( $\nu$ ) Discat ( $\gamma$ ) M. Altus simile non esse idem; dependat ergo licet ignis accensus ab alio igne, in suo esse à materiā, in productione tamen  $\tau\alpha\beta'$  αλλοποιησιν similitudinen⁹ habet cum animæ propagatione, ut ostensum.

IX. Èadem in §. alium arietem, verum sat imbecillem, nobis obvertit. Hanc, inquit, alii sententiam ad absurdum deducturi, tale struere solent argumentum. *Qvicunq' producit animam sine dependentiā à materia, is creat eam.* At verò parentes producunt animam sine dependentia à materiā. E. creant eam. Conclusionem in absurdis habendam esse nemo non videt. E. vel Major vel Minor erit falsa, non Minor, qvia res spiritualis in esse non dependet à materiā. E. Major, qvam tamen Adversarius ut firmissimam profert. Examinabimus firmitudinem Majoris triplici modo, (1) dando instantiam. *Qvicunq' producit rem sine dependentiā à*

*materiā*

( $\mu$ ) Jerem. c. 1. vers. 11. 13. & alibi passim (i) Matth. 13. per tot. Joh. 3. 12. & alibi passim.



materiā, is creat eam. Atqvi Pater in divinis produxit Filium sine dependentia à materia. E. creavit eum. Conclusio analogiæ fidei repugnat, E. vel Major, vel Minor erit falsa, non Minor, qvā nōstrī loco probavit B. D. Danhauerg. (ξ) E. Major, qvæ Antagonistæ (2) formando propositiones contradictorias hasce. Qvicunq; producit aliqvid sine dependentiā à materia, is creat illam rem. Et qvicunq; producit aliqvid non sine dependentiā à materia, is non creat illam rem: prior ex mente Antagonistæ in dubitatō est vera, altera E. indubitato erit falsa, cum in contradictoriis plus uno verum esse non possit. Si verò posterior est falsa. Eva à DEO non erit creata, cum ex costā viri sit producta; vinum in nuptiis Cananæis non erit creatum, qvia ex aqua productum. Si autem non sunt creata, erunt necessariò generata, qvia (verba sunt M. Altii) sole meridiano clarius est, qvod duo tantum non plures productionum sint modi, generatio scilicet & creatio; si verò sunt generata formaliter, & generatio est productio rei sibi in specie similis, qvid jam erit Deus noster gloriosus; erit homo, speculum fragilitatis, erit vinum, abjecta creatura. (3) Negamus simpli- citer Majorem, qvod omne id, qvod in sui productione non dependet à materiā, creetur actutum. Nonne species intelligibiles omnes, omnes item acquisiti habitus, intelligentia, sapientia & scientia, in sui pro- ductione non dependent à materia; idq; in Angelis nequidem depen- dentia subjectivā materiali, neq; tamen creantur. Conf. qvæ accurate atq; affatim dicta sunt à B. Sperlingio. (o)

X. Ne autem M. Altus ad nostras instantias planè obmutuisse vi- deatur, arripit imbellem valdè distinctionem qvandam. Sed hæc, in- quivit, licet non dependeant à materia physica, dependent tamen ab aliquo sub- jecto spirituali. Quæ dependentia ubi locum invenit, creatio exultat. Aliis absurditatibus hâc in distinctione implicatis, dimissis, M. Altii medium terminum in formam syllogisticam iterum redigemus. Ubi datur de- pendentia aut à materia physica, aut à subjecto spirituali, ibi exultat creatio. Hæc propositio bimembris dupli laborat absurdo. Seqvitur enim.

(1) ex

(ξ) In Hodos. Phæn. III. p.m. 183 seq. (o) Tract. de subtil. in Scal. Medit. 12. eff. 2. p. 467.

(1) ex eadem apertissima contradictione, quæ indicium absurditatis atque falsitatis. Argumentor quo ad prius membrum ita. *Ubi datur dependencia à materia physica, ibi exultat creatio.* Atqui in creatione mediatè datur dependentia à materia physica. *E. in creatione, mediata exultat creatio.* Si hæc jam non contradictione est, quid contradictione amplius sit nescio. Major est extra dubium, & Minor supra exemplo Evæ & vini est probata. vid. insuper Cl. Scheiblerus (π) (2) Antagonista noster §. VIII. probat, quod duo in universum productionum sint modi, generatio nempe & creatione: ad generationem autem §. IX. reducit formas accidentales. His positis, argumentor quo ad posterius membrum ita. *Quicquid dependet à subjecto spirituali, illud non creatur, sed generatur. Subsumo. Imago divina, forma accidentalis, in prima homine, dependebat à subjecto spirituali.* E. *Imago divina non fuit creata* (latè sumto vocabulo) *sed generata.* Si verò fuit generata jam primo homini fuisse naturalis, quia quod physicè generatur naturale est, haud supernaturale. Videat E. M. Altus, quomodo concilietur cum suis Præceptoribus Calixtis, Drejero aliisq;.

XI. Anteqvam Antagonista argumenti hujus vela pandat amplius, §. IIIX. vult generationem & creationem ex parte (si verò ex toto, jam non rationibus, sed fuste potius esset adigendus.) per necessarium quoddam requisitum describere, & dicit. *Quod generatio ab aliquo subiecto intrinsecè, creatio autem à nullo dependeat.* Prius ut non negamus, ita posteriū falsum esse, petereq; principium dicimus, vi supra allatorum, quæ uti firma satis fuerunt, & inconcussa, quod scio, perstabant, firmiora tamen fiunt, si rationem haud postremam B. Danbaueri (ε) hic adjicimus. Dicitur, inquit, *aliquid* (*quod creatur*) *dependere à materia per dependentiam obedientialem*; *sic lucum habuit potentia obedientialem ad animam hominis.*

XII. Et hanc dependentiam à subiecto §. IX. ulterius explicat, scribens. *A subiecto itaque dependere nihil aliud fuerit, quam dependere ab aliquo tanquam principio, intrinseco, passivo, causalitatem materię obeunte,*

B

*adeoque*

(π) In opered Metaph. l. 2. c. 3. n. 615. (ε) Colleg. Psych. Diff. 6. p. m. 162.

adeoq; per potentiam passivam apto nato ut ex eo aliquid generetur. Depende nt autem à subjecto in fieri forme materiales, forme accidentales & com posita. Ex adverso à nullo subjecto dependent Angeli, materia prima & ani ma rationalis. Satis hæcce pro edicto prætorio. Qvis qvæso Philosophorum unquam dependentiam à subjecto ita absurdè descripsit? Ha etenus in Scholis Philosophorum sanorum ita fui informatus, qvod de pendentia à subjecto propriè sit accidentium, materiam Ex qvâ (con sen tientibus omnibus Philosophis) principiū passivum respuentium. vid. Jul. Cæs. Scaliger (σ) B. Dn. D. Scharfius (τ) & Cl. Weissius, (υ) aliiq; innumerī. Hisce omnibus in superhabitis M. Altus pro suā in rebus Philosophicis peri tiā novam, sed à contradictione haud liberam dependentiæ à subjecto definitionem effinxit, qvam instituto suo egregiè putat inservire, cum ta men nil minus faciat, qvod apertè subjecta docent exempla. Argumen tor enim. Dependere à subjecto, est dependere ab aliquo tanquam princi pio intrinseco, causalitatem materiæ obeunte. Subsumo. Atq; vi forma mate rialis forme accidentales, & composita dependent à subjecto, E. forma mate riales &c. dependet à principio intrinseco passivo, causalitatem materiæ obe unte. Conclusio inter absurdā absurdorum absurdissima nueneranda est. Absurditas qvoad primum membrum, qvod peculiarem reqvireret dissertationē, sufficientissimè luci exposita est à Viro Incomparabili B. Sper lingio (Φ) ad qvem ob materiæ copiam & chartæ inopiam M. Altum remissum volumus. Qvoad posterius membrum absurditas in aprico planè posita est: adeat M. Altus, si nondum adiit, Scholasticos omnes (qvorum laudes Calixti & Hornejus ad cœlum usq; alias extollunt. vid. πάντα D. Calovius (χ) Praeceptor noster sanctè Venerandus.) in specie autem Fr. Suare tium (ψ) qvem citat B. Scheiblerus (ω) qui vices omnium agat, atq; M. Altum erudit his verbis. Entitas accidentalis in abstracto sumta non habet causam (materiale) ex qvâ intrinsecè componatur. Erudiant etiam no strum Magistrum libelli Metaphysici pro tiroibus scripti. Vices iterum omnium

(σ) Exercit. Exoter X.p.m.55. (τ) In metaph. Exemp. c.ii.p. 117. (υ) In comp. Metaph. p.173. (Φ) In Inst. Phys.lib.1.c.3.q.1.p.77. (χ) Tom.1 Syst.p.76. & 87. & Prefat. in sag. Theol. (ψ) Disp. Met. 14. sect. I. (ω) In op. Metaph. l.2.c.6.n.42.p.286.

omnium agat Cl. Weissii (aa) quem si legisset, tam absurdum certè non protulisset.

§. XIII. Hisce autem absurdis ac contradictoriis in antecedens notatis ad hypothesin ex thesi transit noster Antagonista; quid autem profecturus sit, cui libet de facili innescet, diruto enim fundamento, cadat domus necessum est. Ita autem §. X. infit. Ostensuro jam, animam rationalem non generari, in proclivi erit ita argumentari: Quod generatur, id à subiecto aliquo dependet. Animarationalis à nullo subiecto dependet. E. animarationalis non generatur. Hoc est illud argumentum Achilleum scilicet! unico quod corruit iustum. Si Major est, uti quidem concepta esse debet, atq; etiam est, quod ex §. 14. & 15. palam est, de dependentia à subiecto, causalitatem materiae obeunte, tunc ἀτοπῶς prorsus est, uti jam patuit, & porro patescit ex adversario ipso. Esto λόγος συλλογίζων. Quicquid dependet à subiecto causalitatem materiae obeunte, id dependet à materia ex qua strictè dicta. Ratio propositionis hujus est, quia consentientibus Philosophis omnibus, de causalitate materiae, materia ex qua solum participat, cum reliqua species, nempe in qua & circa quam nudum nomen participant, adeoq; æquivocè. Atqui habitus omnes etiam Theologici, fides, spes, charitas, species item intelligibiles, dependent à subiecto, nempe intellectu, fatente §. X. Antagonista ipso. E. dependent à materia. Ex qua strictè dicta E. intellectus noster non erit amplius quid spirituale, sed materiale, immo ipsa anima. non erit amplius spiritualis, quia secundum. §. XVI. anima & intellectus non differunt realiter. Omnia iterum absurdum, ex Majore absurdum prognata. Porro adhuc unum circa hanc §. notandum. Hactenus dependentia à subiecto M. Altus, ad contradictiones, ut autem, natus, per totam ferè disputationem generaliter & definitivè descripsit, quod sit illa, quando aliquid dependet à materia, ut principio passivo intrinseco. In fine autem §. X. hæc adjicit verba, prioribus aperte contradictoria, Sive hæc productio sit dependentia à materia,

B. 2

materia.

(aa) In Comp. Metaph. p. 256.



teria sive aliunde, aut parum aut nihil refert. Ez his nos nostro con-  
cludimus bono ita. Cujus rei productio aliunde dependet, quam à materia  
ex quâ illa fit non per creationem, sed generationem. Atqui productio a-  
nimæ R. aliunde dependet quam à materia Ex quâ E. productio A. R. non fit  
per creationem, sed generationem. Major est nostri Antagonistæ. Minorpro-  
batu est facilis. Nonne A.R. ita arctissimè cum semine unita est, ut absq; <sup>;</sup>  
semine non nisi per miraculum & absolutâ Dei potentiam, secundum Fonse-  
cam (BB) produciposuit, qvod invictum, ut gravissimè monet B.Dn.D. Dan-  
hauerus (YY) argumentum est dependentiæ. Plur a hanc in rem lectu  
dignissima habet Excell. Dn. Kirchmayerus (dd) Praeceptor atq; Patronus Ma-  
gnus. Spontè itaq; jam corruit argumentum Adversarii ita informatum.  
Quicquid à nulla dependet materia neg, infieri, neg, in esse, id creatur.  
Atqui A.R. à nulla dependet materia Eccl. E.

XIV. Cæterum, ita pergit §. XI. noster Antagonista, sicut enim semen  
aut aliud corp⁹ materiam animæ nostræ non præbet, ita nec anima animæ ma-  
teria existere potest. Posteriq ex defensoribus Traducis nemo unquam as-  
seruit, ideoq; longà suā probatione frustraneus & absurdus est M. Altus,  
Prī⁹ autem, præcisè loquendo, qvod probandū erat, improbatū dimittit,  
ut omnia perversè agat. Deinde de materia ex quâ si sermo M. Alto non  
solum anima nostra destituitur materia sed & corpus equinum, licet hoc  
neget M. Alt⁹, non est materia animæ equi, cum judicio Theologorum Cele-  
berrimorum B. Dorschei (ee) & B. Danhaueri (ss) nec non Dextrimi nostri  
Naturæ Interpretis B. Sperlingii, (nn) nec formæ brutorum orientur ex se-  
mine, nec habeant materiam intrantem, sed præjacentem tantum; si e-  
nim animæ haberent materiam ex quâ, dum generatio fieret per deci-  
sionem, si autem per decisionem, dividendo fieret generatio, qvod sana  
Philosophia non admittit. Si autem sermo est de materia in quâ, ani-  
mæ omnino adscribimus eandem cum Antagonista ex §. XVII.

XV.

(BB) lib. 5 Metaph. c. 2. qvæst. 4. (YY) In Colleg. Psych. Disp. 6. p. m. 162. (dd) In Melet.  
Phys. ad tert. Regest. Placentin. qvæst. 2. (ee) In Auct. Pentad. Dissert. 4. §. 46. (ss) Loc.  
cit. Disp. 5. p. 234. seq. (nn) l. l. Inst. Phys. t. 3. q. 1.

§. XV. Transacta controversia de materia animæ M. Altus §. XII.  
pedem promovet ad causam efficientem. Multo minus, inquit, esse potest,  
ut anima parentis animæ sobolis sit causa efficiens. Nulla enim causa effici-  
ens, quæ quidem finita est & suis circumscribitur limitibus, agit, nisi adsit sub-  
strata materia in quam agat & ex qua aliquid producat: alioquin enim  
crearet, quod opus solius DEI est. Nihil magis optandum esset, quam ut  
semel tantum M. Altus rationem talem in medium afferret, quæ si in  
formam redigitur, non pateretur instantias; certissimum hoc nobis  
signum est, Praeceptorem suum D. Hornejum (θθ) non legisse. Ecce enim  
paratas instantias ad rationem M. Altii, quæ in forma talis est. Nulla causa  
efficiens finita agit, nisi adsit substrata materia in quam agat & ex qua ali-  
quid producat. Subsumo (1) in genere. Atqui omnes actus, quibus intelle-  
ctus producuntur habitus, sunt vera habituum causa efficiens finita. E. Actus  
quibus intellectus producuntur habitus non agunt, nisi adsit substrata mate-  
ria, in quam agant & ex qua aliquid producant. Conclusio etiam illi, qui  
extremis tantum labris de Philosophia aliquid gustavit, est absurdum, mon-  
stret nobis M. Altus materiam Actuum intellectus in qua & ex qua pro-  
ducantur habitus, & Phyllida solus habeto. Absurda E. est vel Major, vel  
Minor, non Minor, quam Duumvir Philosophie Scaliger (u) cum Cl. Scheib-  
lero (uu) sufficientissimè probavit. E. Major, quæ Antagonistæ. Subsu-  
mo (2) in specie. Ex una firma & solidâ demonstratione effectivè depen-  
det habitus quidam scientificus. Vid Thomas (λλ) & Franc. Svaretz. (μμ)  
& tamen demonstratio ut sic, quatenus præscindit à subjectis, Angelo &  
Anima R. neq; agnoscit propriè materiam in qua, multo minus ex qua.  
Reliqua thesi præsenti inspersa sponte suâ corruunt.

§. XVI. De causa efficiente unus adhuc scrupulus nostrum tenet  
Adversarium, ideoq; §. XIII. pergit ita. Negat firmis evincitur argumentis,  
animam parentum esse causam animæ sobolis per emanationem. Qvia  
autem ex Traducianis (ita nos nominant Infusiani) nemo, quod sciam,  
hac

(θθ) In Proces. Disput. cap. 8. (u) Exerc. 307 f. 4. p. 925. (uu) In op. Met. l. 2. c. 8. num.  
102. seq. (λλ) In 1, 2, q. 51. art. 1. (μμ) Disp. 44. sect. 9. num. ult.

hac phrasí propagationem animæ nostræ incrustavit; ideoq; probatiō-  
nem Adversarii ad trutinam veritatis (qvod qvidem facile fieri posset,  
cum cum Zabarella (vv) & Goçlenio (ξξ) causam per emanationem cum  
immanente confundat) non examinamus accuratius. Causa autem  
qvare Autores nonnulli terminum (causa per emanationem) adhibue-  
rint, hæc videtur else. Fuerunt qvidam ex Philosophis, qvi ita pingui-  
ter de animæ humanæ traduce philosophati sunt, quasi nihil ea discrepa-  
ret ab eductione è potentia materiæ. Ab hisce ut divortium facerent  
alii, imprimis autem *Vir* (judicio M. Altii) *Incomparabilis Cornelius Marti-  
ni* (oo) inter traducem, puta ita crassè intellectam, & novam creationem,  
tertiam reperiri viam dixit, quam & ipse seqvitur, sobolis animam statu-  
ens ex anima parentum emanare. Hic est ille ictus, qvem M. Altus liti-  
gatus emerito Professori inflxit. Factum tali Magistro haud dignum.  
Immo qvod magis adhuc est, vivo suo Præceptoris Dn. D. Hildebrando (ππ)  
in faciem contradicit M. Altus, ita enim ille. *Difficultas omnis tollitur, si  
animam nec immediatè à DEO creari, nec ex traduce, sed ab anima paren-  
tum EMANARE statuas, qvi modus propagandi animas rationales non  
absurdus.*

§. XVII. Φιλαυτία absq; dubio Magistrum nostrum undiquaq; oc-  
cupavit, qvæ enim semel in disputatione suā posuit, ea tertia vel quartā  
vice reperire licet. Απότις καὶ enim §. XIV. & XV. ponit ea (mutatis qvi-  
busdam saltim verbis) qvæ protulit §. VIII. & IX. Ut autem nos stigma  
hoc effugiamus, crambem bis coctam, qvæ mors est, apponere nolumus,  
sed M. Altum ad superius dicta remittimus.

§. XVIII. *Hæc jam sunt, qvæ in antecesum (ut loqui amat Antagoni-  
sta) delibata oportuit. Ex qvibus sequentia in dubitato vera, (in dubi-  
tato falsa voluit dicere) concludimus. Primum scil. est. Animaratio-  
nalis venit in censem S numerum earum rerum, qvæ à nullo subjecto depen-  
dent.*

(vv) lib. 2. de Med. Demonstr. c. 5. (ξξ) Part. 1. Inst. Log. p. 52. (oo) In Comp. Theol. p.  
194. seq. (ππ) In Instit. Sacris Disp. XI. §. XI.

dent. Hanc conclusionem hoc probat argumento Adversarius. Nulla substantia spiritualis à subjecto in esse suo dependet. Atqvi anima R. est substantia spiritualis. E. Egregia, si Diis placet! probatio, probandum erat Adversario. Animam rationalem dependere à nullo subjecto, probat ita, qvia anima in esse suo à nullo dependet subjecto. Idem esset ac si probare vellem; animam nostram non esse spiritum, qvia non est Angelus. Probatio cachinno excipienda, qvæ tamen similis Antagonistæ.

§. XIX. Secundum in dubitato verum ( in dubitato falsum ) est. Animæ rationales in fieri à nullo qvog dependent subjecto. Qvod qvidem ex prioribus liquido fluit, nec ulteriori probatione eget. Sicut enim res in esse suo se habet, ita etiam in fieri sive produci. Falsum hoc, immo plusquam falsum est arguo. Quicquid naturaliter ( deinde miraculo ) sine præjacente materia non potest produci, id dependet subjectivè in fieri à materia. Atqvi anima rationalis &c. E. Major propriâ radiat luce. Minor supra firmissime fuit probata. Hac vice Experientiam, Magistrum optimam, saltim adeamus, hæc nos affatim informabit; omnes omnino animas, qvæ unquam fuerunt, adhuc sunt, in posterum futuræ erunt, in, cum & sub semine tanquam subjecto produci.

§. XX. Tertium est: Anima non generatur à parentibus. Qvod cunq; enim generatur, id dependet à materia seu subjecto aliquo, Anima rationalis, ut ex dictis patet, à nullo dependet subjecto seu materia. E. non generatur. Sufficenter qvoque & hoc argumentum supra est dilutum: ex superabundanti verò volumus conferre Minorem cum iis, qvæ §. XVII. dicta sunt. Minor hæc est. Anima rationalis à nullo dependet subjecto seu materia. Hujus propositionis §. XVII. habetur aperte contradictoria. Qvo qvidem modo corpus animi materia est, & in eo tanquam subjecto recipitur.

§. XXI. Quartum est: Anima rationalis à DEO immediate creatur. Quicquid enim à nullo subjecto dependet, id quando fit, creatur. Neg; enim alias

alia productio est independens à materia, qvam creatio. Atqvi anima rationalis &c. E. Supra qvoqve & hoc argumentum satis superq; fuit enervatum. Si dependentia à subjecto ut materiâ in qvâ intelligitur, eandem omnino animæ nostræ adscribimus; sin autem de dependentia, à subjecto ut materiâ ex qvâ, eandem non solum animæ rationali, sed & formis materialibus & accidentalibus denegamus, qvæ tam en secundum Adversarium non creantur, sed generantur.

§. XXII. Ne autem §. ultima sine absurditate abeat; hæc adjicit Antagonista. Tum sine dubio à DEO creari animas, qvando fœtus in utero materno efformatus, & ad animationem jam dispositus est: in mare nempe circa diem 40. in fœmina verò circa 80. Vecors isthæc credat, non cordatus, falsa est sententia hæcce & absurdâ perqvam, argumentor. Ubi & qvandocunq; dantur animæ operationes, ibi anima actu statim adest. Εὐδηλον. In primis à conceptione diebus, septimanis, immo horis etiam dantur animæ operationes. E: Minorem experientia probat, approbat Hippocrates, comprobat Platerus, nec improbat qvicunq; qvid sit anima, & qvid contra misellum & imbellie accidens sit ἀνίστασθαι ad substantiæ productionem neqvaqvam sufficitur, nōrit. Plura lectu dignissima hæc de re ex Platero habet πάντα B. Sperlingius (ee) qvem, si lubet, vide. Stat nobis Veritas, stet Tibi Rerum Stator GLORIA!

(rr) Defens. Tr. de Orig. form. c. 7. p. 158. seq.



05 A 430

ULB Halle  
004 208 803


3



VD 17



**Farbkarte #13**



I. N. S. S. T.  
*DE*  
**ORIGINE ANI-  
MÆ HUMANAÆ,**

Contra  
**CREATIONIS DEFENSOREM HELM-  
STADIENSEM**

*pro*  
**TRADUCE,**  
*PRÆSIDÆ*

**M. JOHANNE JACOBO  
FEGLEN/ULMA SVEVO**  
In Florentissimâ Leucoreâ

*D. Aug. 18. in Auditorio Minori,  
hor. antemer.*

Anno Salutiferæ Generationis  
*M. DC. LXIX.*

Publicè Disputabit

**MARTINUS VVESTPHALUS, Rügen-  
vvaldâ Pomeranus.**

---

WITTEBERGÆ,  
Literis MICHAELIS MEYER.